



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118669

§. 23. Pater Haicis Jesuita pariter exilio mulctatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

Sæcul. XVI
A.C. 1595.

possent: ut vero pernissus esset hujus attentati a Joanne Castello perpetrati memoria, in eodem loco, ubi olim præfata domus surrexerat, ex marmore statuam erigi mandabatur, unacum affixa tabula, in qua causâ significabatur, ob quam domus funditus everfa, & statua erecta fuerit. Data est hæc sententia die decima Januarii hoc anno.

§. XXIII.

Pater Hajus Jesuita pariter exilio multatus.

*Mem. de la
Lig. t. 6.
pag. 263.
Thu. l. III.*

Insuper seorsim in alium Jesuitam natione Scotum, nomine Alexandrum Hajum inquirebatur, eo quod insimularetur, ipsum publice docuisse, quod Regi duntaxat ad tempus sit obtemperandum, & quidem simulato obsequio, imo idem, cum magis incalesceret, etiam addidisse arguebatur, se tunc, cum contingeret Regem ædes ipsius pertransire, libenter e fenestris prono capite demissurum, ut vel cum vitæ periculo cervicem transeuntis Regis disrumperet. Igitur in eum judicii acta instruuntur, cumque compertum esset, quod præfatus Jesuita omnia hæc verba protulisset, priusquam Parisina urbs Regi tradita fuerat, ideo haud alia pœna, quam perpetuo exilio, multabatur, edita hanc in rem sententia eodem die decimo Januarii.

Sæcul. XVI.

A.C. 1595.

nuarii. Præterea in eodem decreto
 plura alia delicta Jesuitis objiciebantur,
 atque inter alia iis imputabatur, quod
 unus ex eorum Scholaribus nomine
 Franciscus Jacob in Bituricensi Colle-
 gio literis vacans se Regem occisurum,
 nisi illum jamjam trucidatum crederet,
 jactanter effutiisset, ac certo affirmas-
 set, eundem jam ab alio interfectum
 fuisse: insuper eisdem Patribus crimini
 datum, quod in Claromontano Col-
 legio plura themata, ac carmina con-
 tra Regis honorem dictassent, ac deni-
 que ex Jesuitis plures Patribus, ac
 Matribus suos filios abstraxerint, eos-
 que sollicitarint, ut ad ipsorum Colle-
 gia extra regnum studiorum causa pro-
 ficiscerentur: eapropter Joannes Belus,
 qui in Jesuitarum schola literis vacabat,
 ignominiosa culpæ confessione crimen
 luere jussus, demum exilio perpetuo
 mulctatus est, bonis ejus fisco addictis,
 eoquod Veronum cujusdam Procurato-
 ris Filium, ut extra regnum ad Jesui-
 tarum scholas contenderet, sollicitasset.

§. XXIV.

*Castelli ædes solo æquatæ, atque in
 ejus locum tyramis erecta.*

Paulopost Pariensis Curia sententiam
 effectui dari jussit, vi cujus Petri
 Castelli domus diruta, atque in ejus
 locum

Hh 2

locum